

Johannes Wackher an Johannes Huber, Decan der Artistenfacultät,  
und die übrigen Examinatoren.

Wien. 1515. März 11.

Anmeldung zum Examen.

Debita parendi voluntate præmissa<sup>a)</sup>. Haud alienum vestris videbitur  
Excellentiis, viri quam doctissimi, si homuntio ego ignorantissimus in  
primisque litterarum rudimentis imbuendus meis coram vestrarum Digni-  
tatum consessum ineptiis comparere ausim, quoniam, nisi vos pios veniam  
datuos sperarem (quod in primis precor), iamdudum omnia me timoris  
circumdedissent pericula. Quomodo enim puer tenera ætate ac nudo cor-  
pore existens se defendet aut militem superabit armatum, ita facile vos,  
viri ingeniosissimi<sup>b)</sup>, qui intimis philosophiæ penetralibus ac philosophico  
lacte educati estis, me rigoroso examinis scrutinio elinguem reddere, ut  
vox faucibus hæreat<sup>c)</sup>, potestis. Idcirco<sup>d)</sup>, eximie decane, vir nulli laude  
ac pietate secundus, vosque, examinatores clarissimi, vestris supplico<sup>e)</sup>  
Dignitatibus, ut mihi sereno vultu pietateque paterna primum in bonis  
artibus gradum non denegare, sed cum ceteris meis commilitonibus<sup>f)</sup>  
benigne conferre dignemini. Quod si petitum fortuna secundet, quæ<sup>g)</sup> me

cunque feret regio, semper honos nomenque vestrarum Dignitatum manebunt. Valete. Datum Wiennæ<sup>b)</sup>, XI Martii, anno domini 1515.

*Ioannes Wackher*, vestrarum Dignitatum clientulus.

Spectatissimis artium ac philosophiæ<sup>i)</sup> moderatoribus, magistro Ioanni Huber, sacræ<sup>k)</sup> theologiæ<sup>l)</sup> baccalaureo artisticæque<sup>m)</sup> facultatis decano peritissimo ceterisque examinadoribus, viris omnium literarum splendore candidissimis.

a) „premissa“. — b) „ingeniosissimi“. — c) „hereat“. — d) „iccirco“. — e) „suplico“. — f) „comilitonibus“. — g) „que“. — h) „Wienne“. — i) „philosophie“. — k) „sacre“. — l) „theologie“. — m) „artisticheque“.